

teros vero velut sordidos atque peccatores respuunt & contemnunt: quasi statera dolosa & mensura duplici, aliter sua, & aliter facta proximorum pensant, ac per hoc in utroque abominabiles apud Deum existunt. Diversum namque pondus in domo sua, diversam habet mensuram: ut aliter videlicet in semetipso, aliter metiatur in proximo, qui in suis semper actibus quae laudari, in aliorum vero quae vituperari possint, rimatur. Et ideo talem justè abominatur Dominus: quia nimirum quantum sibi metipso absque meritis placet, tanto superno inspectori merito displicet. Verum quia periculosum est cuiquam de aliena conscientia judicare, cujus intentionem scire nequit: dat consilium quibus iudiciis iudicium nostrum cordis erga proximum dirigere debeamus: Nam sequitur:

Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sunt opera ejus. Quemcumque enim virtutibus studere: modestie, continentie, auditioni sapientium, & observantie mandatorum Dei, maximeque humilitati ac simplicitati videris: hujus munda esse & recta opera intellige. Quem vero his contrarium iter tenere deprehendis: hunc velut immundi ac distorti cordis hominem, aut corrigere & castigare: aut si hoc non vales, vitare ac declinare, ne ab eo ipse corrumparis, curato. Nec videri contrarium debet, quod hic studiosi pueri munda esse & recta opera testatur: supra vero ait: Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato? In hoc enim versu studium rectè vivendi suadet: in illo presumptionem propriæ puritatis dissuadet. In isto munditiam & rectitudinem qualis in hac vita esse iustorum potest, docet habendam: in illo subtilitatem divini examinis, qua hominum facta & intentiones dijudicat, monet semper ante oculos habendam. Unde & illum locum antiqui interpretes ita transfulerunt. Cùm sederit rex justus in solio iudicii, quis glorietur castum se habere cor? aut quis glorietur mundum se esse à peccato? qui & hunc quem exponimus versiculum, manifestius posuere dicentes: Juvenis qui cum justo est, directa erit via illius. Qui enim cum sapientibus graditur, sapiens erit. Sicut è contra, amicus stultorum efficietur similis.

Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque. Aurum audientem, dicit auditorem verbi obediendum. Oculum videntem, doctorem eruditum. Nemo ergo cùm se scripturarum scientia institutum, & ad dicendum verbum Dei viderit idoneum, despiciat simplicitatem fratris: qui & si minus doctus ad prædicandum, non tamen minus est promptus ad dicendum, vel ad implendum bona quæ didicit: sed recolat quia qui sibi majorem scientie gratiam dedit: ipse fratri quæ habet spiritualia dona tribuit: nec sibi propter se solummodo, sed etiam propter fratris commoda tribuit dona quæ voluit, dans unicuique gratiam secundum mensuram donationis suæ.

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & satura te panibus. Noli diligere somnum peccati & inertie, de quo Apostolus ait: Hora est jam nos de somno furgere: ne te si non bene vigilare noveris, egestas in futuro, illa gravissima ubi nec stillam aquæ unam hietis invenire queas occupet. Aperi oculos tuos cordis ad vigilias sanctas, & saturitatem tibi gaudiorum celestium bene vivendo conquire.

Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur. Ergo & is qui æterna in cælis præmia comparare desiderat, malum est quod in presenti debet sustinere, ut cùm recesserit de mundo, tunc gloriatur apertè perspicuus, quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

Est aurum & multitudo gemmarum: & vas pretiosum labia scientia. Tolle vestimentum ejus qui sedit in sede alieni: & pro extraneis aufer pignus ab eo. Hæc est gloriatio sapientis emptoris, qui quamdiu emerit, malum esse dicit quod secum agitur; cùm autem recesserit, lætatur se sapienter emisit: sic etenim etiam celestis regni emptor ubi hinc recesserit exultabit, comperiens labia scientie, id est, doctrinæ spiritualis qua usus est comparatione celestium, auro, gemmis & vas esse assimilanda preciosis.

Suavis est homini panis mendacii: & postea implebitur os ejus calculo. Cogitationes consilii roborantur: & gubernaculis tractanda sunt bella. In quocumque membro quis

amplius peccaverit, in eo ampliora in ultione patietur tormenta: Unde rectè qui in lingua magis delinquit, in ea plus arsurus esse perhibetur: dum os ejus calculo, qui est lapis ignitus, implendum esse refertur: quod accidisse constat diviti illi, qui epulabatur quotidie splendide: cum in inferno ardens, refrigerari sibi à Lazaro linguam petebat. Nam quia in verbis supervacuis in epulando defluerat, in lingua amplius ardebat.

Ei qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis. Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumen ejus in medijs tenebris. Si quis voluerit tuis misceri amicitiiis: & hunc videris prioris amici patientem secreta, hunc veluti perfidum cave.

Hereditas ad quam festinatur in principio: in novissimo benedictione carebit. Qui per avaritiam nequitiam in hac vita multiplicari appetunt, in futuro ab æterno patrimonio exheredes sunt. Aliter: Hereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Qui gradum regiminis priusquam subesse didicerit, id est, ante tempus festinans, praeposterus accipit: in novissimo mercede benedictionis, quæ bonis rectoribus debetur, carebit: qui ad mysterium altaris indoctus & temerarius accessit, & ipse in die novissimo gratiam remunerationis quæ bene ministrantibus promittitur perdet. Potest & ita accipi, quod qui in presenti suas ulcisci vult injurias, hic corona patientie in futuro carebit. Qui sensui potissimum videtur convenire quod sequitur:

Ne dicas, reddam malum: expecta Dominum & liberabit te. Quod etiam versiculo sequenti astruit cùm dicit:

Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona. Duplex namque pondus & stateram habet suo in corde dolosam, qui dum peccaverit, ipse veniam petit à Domino: & nihilominus peccanti in se homini ac poenitenti, quod peccavit dimittere non vult, eum qui Deus est flectere ad miserandum precibus satagit, cum ipse homo existens, nullis hominum precibus flecti ad misericordiam possit. Qui jure quasi iniquus ponderator abominatur à Domino: quia suas injurias graviore quàm Domini mensurat. Verbi gratia, nolens indulgere ei qui suam uxorem pollutit: & postulans sibi indulgere, cum forte desponsatam Christi virginem maculaverit, vel certe animam suam Deo in baptismate consecratam, aliqua vitiorum sordè fædaverit.

A Domino dirigitur gressus viri. Quicumque hominum gressus rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrii: sed gubernatione illius, cui dicit Isaias: Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Quis autem hominum intelligere potest viam suam? In hoc, inquit, manifestè claret, quia quicquid boni habet quisque, à seipso non habet, sed per gratiam Dei: quod nec per sui libertatem arbitrii qualis futurus sit, qualiter, vel quamdiu victurus, intelligere poterit.

Ruina est homini devotare sanctos: & post vota retractare. Cùm peccatum sit ulli hominum nocere, quanto majus est cùm quis sanctos Dei offenderit sive læserit, & quasi vile mancipium pro libito suæ voluntatis eos tractare non timuerit. Quomodo quadraginta viri in Actibus Apostolorum devoverunt se non manducatos neque bibitos, donec occiderent Paulum. Et pagani sæpe, ut legimus, diis suis Christianorum devovere sanguinem. Hunc versiculum antiqua editio, juxta alium sensum posuit, dicens: Mulcupula est viro citato aliquid de suis consecrare: postea autem quam votum fecit poenitentiam agit. Et quia utrisque, & eis videlicet qui sua vota contemnunt, & eis qui ut sua vota compleant sanctos persequuntur, damnatio restat æterna: rectè subditur:

Dissipat impius rex sapiens: & incurvat super eos fornica. Moris autem fuit antiquorum, ut adepta de hoste victoria, fornices sibi erigerent: in quibus virtutum suarum laudes describerent: ut in Saulis opere legimus, Dominus ergo rex noster, non solum impiorum destruet in fine malitiam: sed & magnam cum electis suis ejusdem triumphum gloriam perpetuo celebrat. Hunc versum antiqua translatio sic habet: Ventilator impiorum rex sapiens: & immittet illis rotam malorum, id est, poenam nullo fine consummandam. Cui videlicet rotæ contraria est corona vite æternæ: quam promissit Deus diligentibus se.

Lucerna Domini spiraculum hominis: qua investigat omnia secreta ventris. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus. Divini afflatus illuminatio cùm in mentem hominis venerit, eam sibi metipso illuminans ostendit, quæ ante Spiritus sancti adventum cogitationes pravæ & portare poterat, & pensare nesciebat.

nia secreta ventris. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus. Divini afflatus illuminatio cùm in mentem hominis venerit, eam sibi metipso illuminans ostendit, quæ ante Spiritus sancti adventum cogitationes pravæ & portare poterat, & pensare nesciebat.

Exultatio juvenum fortitudo eorum: & dignitas senum canicies. Canicem sapientiam dicit. Tunc etenim civitatis cujusque bene ordinata: tunc res sanctæ Ecclesiæ rectè aguntur: cum & fortiores quique viribus necessariis insistant operibus, & seniores majore prudentia præditi, de his quæ agenda sunt salubriter consulunt.

Livor vulneris absterge mala: & plaga in secretis vulneris. Cùm enim exterius percussimur, ad peccatorum nostrorum memoriam tacti afflictive revocamur: & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus; sicque fit ut inter aperta vulnera corporis magis nos abluat plaga secreta ventris: quia sanat nequitias pravi operis, occultum livorem doloris. Solet quæritæ appellacione mens accipi: quia sicut venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas.

Caput XXI.

Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Domini. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino quàm vittima. Exaltatio oculorum, est dilatio cordis: lucerna impiorum, peccatum. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger in egestate est. Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus & excors est: & impingetur ad laqueos mortis. Rapine impiorum detrahent eos: quia noluerunt facere iudicium. Quare cor regis & non potius hominum in manu Dei esse perhibet, cum scriptum sit: Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: nisi forte regem, sanctum quemque appellat, qui vitiorum bella in seipso vincere, virtutum militiam novit stipare. Sicut enim Dominus multitudinis aquarum divisionibus terrarum fines late simul & æris implet: tegit quoque aquis superiora cælorum: ita cor regis quocumque voluerit inclinabit illud: quia sicut divisiones gratiarum, juxta suam voluntatem, & angelis & hominibus tribuit: ita & corda sanctorum quibuscumque voluerit digna donationibus reddit. Neque ullamque Pelagianista locum, quo absque Dei gratia quis salvus fieri possit.

Perversa via viri aliena est: qui autem mundus est, reatum opus ejus. Justè coram Domino vivere, proprium est humane conditionis. Unde alibi dicit: Deum time, & mandata ejus observa: hoc est, omnis homo. At qui perversè vivit, alienam profectò à natura humana viam incedit. Perversa ergo actio, aliena est & contra naturam. Qui autem mundus est in opere, hic rectè quod per naturam originaliter sumpsit exequitur.

Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa & in dono communis. Anima impij desiderat malum: non miserebitur proximo suo. Multato pestilente, sapientior erit parvulus: & si scelerum sapientem, sumet scientiam. Excogitat justus de dono impij: ut detrahat impius à malo. Adeo verum est, melius esse sedere in angulo domatis, id est, in secreta altitudine vite continentioris, quàm cum muliere mala in domo que tibi sit cum illa communis: ut etiam si optima tibi mulier ducenda offeratur, melius sit contentum connubio propter comitatum agni, cælibem ducere vitam. Aliter: Quid per angulum domatis, nisi vita religiosa, ab omni actione terrena remota: & à turbationibus vite præsentis quietæ? Quid per mulierem litigiosam, nisi perturbati sæculi actio designatur, quæ amatoribus suis incessanter tentationes movet, jurgia atque scandala feminat, immittit lites, concitat bella, dividit unitatem, pacem violat, amicitias dissipat: eosque dum variis cupiditatibus inflammant, nec in semetipsis quiescere sinit, nec in fraterna dilectione connexos esse permittit.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: & ipse clamabit, & non exaudietur. Generaliter hæc accipienda sententia, & non egeno tantum, vel corporaliter infirmo. Nam & qui criminibus alienis non affectus misericordie condolare, sed judicantis mavult tenere censuram, ostendit se nec

dum vitiorum fecibus eliquatum, neque auditu divinæ misericordie existere dignum.

Manus absconditum extinguet iras: & donum in sinu indignationem maximam. Qui iram districti judicis quam peccando meruit placare desiderat, elemosynas dat pauperibus, & hoc nulla delectatione favoris humani, sed tantum amore conditoris, qui cordium occulta respicit. Sic enim fit manus absconditum, sic ad mitigandum conditoris iram proficuum, si nullo extraneæ retributionis intuitu porrigatur: sic implebitur quod ipse præcepit. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua?

Gaudium justo est facere iudicium: & pavor operantis iniquitatem. Gaudet justus cùm bonis defudat operibus, quia sperat se propter hæc bonis remunerandum esse perennibus. At verò reprobi dum mala quæ Dominum prohibuisse norunt, faciunt, quamvis suæ luxurie perpetracione carnaliter delectentur, mentis tamen pavore interno carere nequeunt, quia se mala perpetua passuros pro his quæ temporali ter malefecerint non ambigunt.

Vir qui erraverit à via doctrinæ, in caetu gigantium commorabitur. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pingua, non disabitur. Gigantes dicit immundos spiritus, de quibus beatus Job: Ecce gigantes, inquit, genuit sub aquis, & qui habitant cum eis, id est, superbi & malefactores spiritus demoniorum cum his quos deceperunt hominibus penis subacti torquentur: horum enim caetu sociabuntur, quia à via veritatis erraverunt, ipso iudice atrectante qui se illis diciturum esse prædixit: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

Pro justo datur impius: & pro recto iniquus. Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda. Justi & recti idem esse videntur, sed distat inter impios & iniquos, quod iniqui sunt omnes reprobi: impij vero qui majoribus implicati sceleribus, vel nunquam sanctæ mytheria fidei perceperunt, vel post accepta ad apostasiam redierunt. Unde potest hoc loco impius omnis fidelium persecutor dicitur accipi. Porro iniquorum vocabulo generaliter omnes mali signari. Et pro justo datur impius, cùm pro martyre persecutor qui cum morti dederit punitur: pro rectis iniqui, qui eorum iustitiam videntes imitari volebant. Damnatur Herodes, non tantum pro innocentibus quos impie neci tradidit, sed & argumentum damnationis accipit: quia fidem magorum sequi ad querendum Dominum noluit cùm esset Judæus, & Prophetarum dicta cognosceret: hinc enim Dominus ait: Regina austrî surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam &c. Non quia ipsa sua virtute ac potentia condemnabit, sed quia in ejus comparacione condemnabuntur, qui devotionem ejus scientes cùm multo facilius possent, sapientiæ curam dissimulabant habere.

Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo justi, & imprudens homo dissipabit illud. Qui sequitur iustitiam & misericordiam: inveniet vitam, iustitiam & gloriam. Claritas bonorum operum Deo semper amabilis, & pinguedo dilectionis in sanctorum Ecclesia resurget. Verum reprobi non tantum virtutes se non assequi, sed & persequi & quantum valent in bonis obruere festinant. Potest sane hic versus & de quolibet martyrum accipi, in cuius habitaculo, id est, corpore, anima sancta, Dei videlicet thesaurus servetur, abundat & unctio gratiæ spiritualis, at persecutor imprudens hujusmodi habitaculum distrumpere potest: thesaurum verò qui habitaculo tenebatur & oleum, nequam tangere potest. Unde Dominus docet: Non timeate eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.

Civitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiducia ejus. Qui custodit os suum & linguam suam: custodit ab angustiis animam suam. Superbus & arrogans vocatur indoctus qui in ira operatur superbiam. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quiescere manus ejus operari. Tota die concupiscit & desiderat: qui autem justus est, tribuet & non cessabit. Hostia impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Civitatem fortium, mundum dicit, qui quondam malignorum spirituum tyrannidi stultæ subactus serviebat: habens fiduciam vite in occulto eorum qui non sunt dii, sed opera manuum hominum. Hanc civitatem intravit ille natus in carne, qui est Dei virtus & Dei sapientia: destruxitque per suos prædicatores cultum deorum, in quibus fuere consili, veritatis ignari: atque in fide celestium

docuit habendam esse fiduciam quæ nunquam posset destrui. Sed & quotidie civitatem fortium ascendit sapiens, & destruit robur fiducia ejus, cum aliquis fidelis doctor argumenta philosophorum, vel hæreticorum, vel etiam contumaces carnalium fratrum contradictiones, quibus scelera sua defendere & alleviare nituntur aspernatione fidei Ecclesiasticæ, castigationis disciplina redarguit atque eviscerans annullat.

Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. Qui se Deo servare testatur, nec factis dicta exequitur, peribit: qui autem fideliter ut promittit, jussis subditur divinis: hujus loquela ad victoriam perveniet: quia dum per obedientiam suam desideria vincere satagit, per justitiam judicis postmodum victoriæ palmam percipit.

Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rebus est corrigi viam suam. Judas quia impius corde erat, quamvis ipse Domino se redargueret, noluit mala cepta restringere. Porro Petrus quia rectus erat corde, id est, rectitudinis amator, respiciente se Domino mox penitendo correxit quod negando deliquit.

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Quæcumque consulantur, & sapiunt hæretici: nihil est, & vanum, & inutile.

Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuet. Hominum quidem est devotè tempore persecutionis animum preparare, corpus offerre discrimini: sed divini est adjutorii, ut cepto labori, agonis victoria salusque succedat.

Caput XXII.

MELIUS est nomen bonum quam divitiis multa. Nomen bonum dicit, non quod à turbis vulgi imperiti, sed quod à fidelium quamvis paucorum testimonio laudatur. Neque enim bonus habere nomen bonum refugit, sed à bonis solum quærebat laudari qui ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Nomen ergo bonum, est nomen religionis, quod divitiis mundialibus jure præfertur. Nam & si mundum quis lucraretur universum, merito hunc contemneret, tantum ut nomen ejus scriberetur in caelo, ejusque memoria & inter angelos, & inter homines sanctos hgeretur æterna.

Super argentum & aurum gratia bona. Illam significat gratiam, cum quis pro bono opere laudatur à bonis: imò pro collatis ei donis meritorum, glorificatur Pater qui in caelis est.

Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus. Neque divitem propter divitias & honores: neque pro inopia pauperem despiciat: sed hoc in utroque merito venerare, quia opus sunt divinum, & ad imaginem Dei facti sunt.

Callidus videt malum & abscondit se: innocens pertransit & afflicti sunt damno. Multi ex principibus credidere in Dominum, sed propter pharisaicos non confitebantur, ut de synagoga non egerentur: quia enim erant callidi, videbant malum persecutionis quod imminerebat, & absconderunt fidem pietatis quam parumper conceperant. Innocentes verò Apostoli pertransierunt itinere recto professionis quo ceperunt, & afflicti sunt verberare, vinculis, carcere, & ipsa etiam morte multati. Utrorumque autem exemplum multi usque nunc, & in certamine fidei & in communibus sequuntur actibus. Hunc versum antiqui interpretes manifestius, sed in alium sensum, transtulerunt: nequam puniri valde ipse disciplinam accipit: insipientes autem prætereuntes damno afflicti sunt.

Finis modestia timor Domini: divitiæ & gloria & vita. Modestiam dicit constantiam operum honorum: timorem verò Domini, illum qui permanet in sæculum sæculi: quia nimirum perfectio virtutum est, ad hunc animi statum consendere quo gratiam conditoris, vel in modico timeamus offendere: nihil prorsus ejus memorie præponentes, quæ alibi charitas vocatur perfecta, foras mittens timorem, servilem videlicet & incipientem: quo metuunt quisque ne forte peccando pœnis mereatur subigi. Quod autem subjungit: Divitiæ & gloria & vita, in futuro significat. Finis ergo modestiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita. Quia nimirum perfectio virtutum est in hac vita ut timeamus Dominum timore sancto: hoc est, sincera illum dilectione colamus: finis virtutum in futuro, ut divitiis hereditatis promissæ, regni

cælestis gloriam & vitam sine fine percipiamus à Domino. Unde Petrus: Itaque cum videritis, exultabitis læticia inenarrabili & glorificata, portantes finem fidei vestre salutem animarum vestrarum.

Arma & gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. Dupliciter intelligendum: quia perversi & armati semper ad nocendum proximis verbo vel opere scelesto, & ipsos parata semper expectat ultio divini exanimis. Qui verò animam suam in æternum salvari procurat, longè refugit ab hujusmodi armis & gladiis, quia & mentem manumque suam à proximorum læsione refrænat, & ne animadversione districti judicis ipse feriat, intenta mente præcavat.

Proverbium est: adolescens juxta viam suam, etiam cum sennerit non recedit ab ea. Constat plerisque in senectute Domino donante mutari à vitiis quæ adolescentibus habuerant, & è contra nonnullos illo se deserente, deserere circa senium virtutes quibus ab adolescentia videbantur illustrari. Sed quia multo sæpius virtutes quibus ab adolescentia imbutus est, in reliquum vitæ tempus exquire consuevit: proverbium esse dicit: quia quod adolescentis quique ceperit, in senectate non mutaverit, non tamen ipsum semper ita venire confirmat. Idcirco autem hujusmodi proverbium ponit, ut auditores suos à prima ætate virtutibus studere persuadeat: ne forte in senectate non possint deserere studia, quibus in tenera ætate mancipari despexerant. Nam & quo senel est imbuta recens servabit odorem Testa diu. Et Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem orbisque dominatorem, & in moribus & in incessu Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus parvulus adhuc fuerat infectus.

Dives pauperibus imperat: & qui accipit mutuum: servus est feneratoris. Patet juxta literam. Sed & divites virtutibus in judicio occultè inspectoris principantur eis, imò eorum in futuro judices existunt, qui virtutum divitiis caruerunt. Et qui verbum doctrinæ salutis accipit à doctore, servus est ejusdem doctoris: id est, debitor implendi omnia quæ illi magisterii cælestis jure præcipit.

Qui feminas iniquitatem, metet mala: Certum est quod is qui vel verbo vel exemplo docuit iniquitatem, recipiet vindictam. Sed quod sequitur:

Et virga iræ suæ consummabitur. Illam maximè iniquitatem videtur dicere, quæ inimici & impia mente peragitur, ut est latrocinia exercere, homines servitio premere, tormentis lanare, morte perimere, bovem viduæ pro pignore auferre: ipsam de adversario cum possit vindicare non velle: Talis virga iræ suæ consummabitur, quia sicut Dominus ait: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt: id est, qui injussu in alios sæviunt, ipsa sævitia sibi metipsis interitum conciscunt. Verum quia dixerat de impio, sequitur è contra de pio.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquirat qui dat munera: animam autem auferit accipientium. Huic simile est illud judicis ejusdem qui misericordes ab impiis discerpens ait: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Quia esturvi & dedistis mihi manducare &c. Possunt autem panes qui pauperi dantur, non solum alimenti carnalis, sed & doctrinæ spiritualis quibus anima recreatur intelligi.

Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium: cessabuntque causæ & contumelia. Ejice hæreticum, quem corrigere non potes, de Ecclesia: & cum illi libertatem prædicandi abstuleris, Catholicæ paci auxilium præstabis.

Qui diligit cordis munditiam propter gratiam laborum suorum habebit amicum regem. Qui mundo corde recta prædicat, inter illos annumerabitur, de quibus eidem regi & conditori sæculorum Propheta dicebat: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Nam si quis gratiam laborum recta prædicando præmonstrat: cordis autem munditiam colere dissimulat, nequaquam talis æterni regis amicitia frui posse putandus est.

Oculi Domini custodiunt scientiam & supplantant verba iniqui. Superna conspectio custodit semper in Ecclesia scientiam veritatis quam docuit. Verba autem hæreticorum, imò omnis sermo pietati & justitiæ contrarius, qui à Domino rege non servatur, cum suo autore subvertitur.

Dicit piger, leo est foris: in medio platearum occidendus

sum. Dicit sæpe in animo suo is qui ad agenda bona opera piger est, ad confitendam fidem quam corde tenet timidus: non audeo fidem quam novi foras profiteri: ne me persecutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne forte me vel antiqui hostis adversitas gravior tenter, vel etiam homo qui libet perversus cum suorum turba derideat, convitiis confundat, injuriis afficiat: aut sicut multos justorum qui ab ejus vita discordant, tormentis & morte consumat, Leo, inquit, foris: in medio platearum occidendus sum, quod est aperte dicere, & verba & opera virtutum, ubi ostendi foris ceperint: statim persecutor vel hominum, vel spirituum comitatur immundorum: nec valeo tentationibus resistere, sed impiis boni propositi vincor inceptis.

Fovea profunda os aliena: cui iratus est Dominus incidet in illam. Qui verba vel oscula meretricis libenter amplectitur, quasi januam jam gehennalis pulsât abyssi: citoque mergetur si pedem cautos non retrahit: in non membra cætera à vicinia cohibet foveæ pœnalis: in quam nullus omnino nisi filius iræ illabitur.

Stultitia colligata in corde pueri: & virga disciplina fagabit eam. Multos novimus pueros sapientia præditos. Nam & Jeremias puer prophetiæ mysterium suscepit: & Daniel scribit quod dedit Deus pueris abstinentibus scientiam & disciplinam in omni verbo & sapientia. Unde restat intelligere, quod pueros hoc loco non ætate, sed sensu, parvulos significet: quales verbatim Apostolus esse eos quibus ait: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote. Hujusmodi enim pueros, id est, animos stultitiam, vel inertiam, vel inertiæ, deditis: necesse est juvenili disciplina castigari, & ad justum vitæ tramitem prudentium vigore perducere.

Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias suas: dabit ipse divitiis & egebit. Constat quia rapaces, & quæ pauperibus auferunt, & quæ justè videntur possidere, pariter omnia perdit, cum in examine districti judicis pœnas pro his quæ gessere recipiet. Sed & is qui pauperem spiritu fratrem calumniatur, virtutibus ejus detrahendo, ut per hanc vituperationem ipse divitias quas desiderat auget: id est, gloriam laudis humanæ majorem, quasi sanctior accipiat: merito talis calumniator quicquid bonæ actionis habere videbatur amittit, & à fructu virtutum vacuus in fine manebit. Hucufque pertingit titulus Parabolarum Salomonis qui supra positus est, ex quo novum locutionis genus probatur assumptisse, ut quæ diceret non quasi ad alium ea quem doceret loquendo, sed velut solus seum ratiocinando videatur effari: quarum videlicet Parabolarum primus est versiculus: Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ: ultimus iste ad quem usque explanandum pervenimus. Hinc ad priorem loquendi modum revertitur, ut specialiter ad eum quem instruit verbum faciat, quod ita incipit.

Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam. Palchrum initium ponit novæ locutionis, ut aurem pariter ad audiendum, & cor apponere ad intelligendum quæ sibi sapientes loquantur eum quem erudit jubeat.

Quæ pulchra eris tibi cum servaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis, ut sit in Domino fiducia tua, unde & ostendam eam tibi hodie. Aspera sæpe videtur incipientibus & instans doctrina sapientiæ: sed cum ejus virtutem intimo corde perceperint & operibus servare, cum hanc quoque labiis propinare fratribus didicerint, pulchriorem hanc cæteris dogmatibus esse deprehendent.

Ece descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, ut ostenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis respondere ex his illis qui miserunt te. Tripliciter auditori doctrinam descripsit suam, quia cogitare, loqui, & operibus hanc exercere præcipit, quæ descriptione triplici, totus iste libellus, si quis bene considerat, plenus refuleat.

Non facias violentiam pauperi quia pauper est, neque conteras egeum in porta, quia Dominus judicabit causam ejus. Potest de quolibet paupere vel egeno accipi, de quo dictum est: Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Verum quia sequitur:

Et configet eos, qui confixerunt animam ejus. Melius de illo intelligitur, qui cum dives esset, pauper pro nobis factus est, & non solum pauper, ut nos ditaret, sed & ut nos redimeret, crucifigi dignatus est. Prohibet ergo sapientia suos auditores Domino in carne prædicanti vio-

lentiæ mortemque inferre, quia nimirum certus restat interitus eis qui in auctorem vitæ manum mittere non timerunt.

Noli esse amicus homini iracundo: neque ambules cum viro furioso, ne foris discas similitas ejus, & sumas scandalum anime suæ. Et cum hac de omni iracundo vel furioso possint generaliter accipi, tamen nihil prohibet specialiter accipi de illis qui contra salvatorem & discipulos ejus velana mente furebant. A quorum amicitia & comitatu prohibentur quicumque in eum credentes, curam suæ salutis agebant: ne ex vicinia pravorum & ipsi perirent, quod ex Jude scario-tis casu fieri posse probatum est. Generaliter autem dicendum: quia sicut perfecti viri perversos proximis non debent fugere, qui illos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem debent declinare pravorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari.

Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. Si enim non habet unde restituat, quid causa est ut tollat operimentum de cubili suo. Noli esse cum his qui se cum essent liberi ac sibi vacantes, defigunt manus in curas salutis malorum, spondentes se rationem pro eorum animabus Domino reddituros. Si enim ille pro quo spondidisti, non habet bona opera quibus te liberum ac securum reddat tuæ sponsonis; quæ tibi utilitas est ut in die judicii pro ejus anima judicaris, amittatque habitum justitiæ quo indutus esse videbaris, ac nudus ab ornamento virtutum exilire comprobaris, quia quod Domino teste pollicitus es implere nequiveras. Hoc autem dictum est, non quod curam regendarum animarum tibi cum regulariter imposita fuerit suscipere non debeas, sed ne passim nullo jubente doctoris tibi ac præfulis officium temerarius usurpes.

Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Ne transgrediaris terminos fidei quos Catholici ab initio statuere doctores.

Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Quemcumque velocem videris in opere suo, vel in opere bono quod erat ei facere strenuum atque sollicitum: scito hunc in die novissimi examinis coram Apostolis, qui cum Christo mundum judicantes sedebunt, esse staturum, quia videlicet eorum iussa servaverit, neque in parte ignobilium doctorum quorum cavere fecit errorem, id est, ad sinistram judicis esse ponendum.

Caput XXIII.

QUANDO federis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes animam tuam in potestate. Per allegoriam cuncta dicuntur. Quando federis ad legendum cum magistro, ut vero pane verbi reficiaris: diligenter intellige quæ scripta sunt, & discretionem sacræ lectionis in tua locutione conserva: si tamen talis es tantumque eruditus, qui in potestate habeas animam tuam: nec quasi indoctus mente tua circumferaris omni vento doctrinæ. Guttur namque pro loquela posuit: quia vox in gutture est: Cultrum pro discretionem: quia cibos cum reficimur, cultro secante præparamus. Et sedens ut comedat, cultrum in gutture suo statuit, quando is qui divina sedulus meditaturo eloquia, discretæ ex ore verba depromit: nec alia sæpius in lingua quam cælestis oraculi dicta revolvit. Hoc autem ejus est facere qui in potestate habet animam suam: id est, immobilem inter errores fallentium sapientis animæ statum servare didicit. Unde & rectè subjungit:

Ne desideres de cibis ejus in quo est panis mendacii. Quod est aperte dicere: Ne desideres ejus aucultare sermones, qui dulcedine mendacium dogmatum auditores suos fallere consuevit.

Noli laborare ut diteris. Divitiis scientiæ significat, quas ultra mensuram capacitatis nostræ querere prohibemur.

Sed prudentia tua pone modum. Illum videlicet de quo supra dictum est: Ne transgrediaris terminos antiquos quos poluere patres tui: hoc est, terminos datos à patribus veritatis & fidei.

Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: